

HISTORIAE GERMANICÆ. 103
drimulo, Siciliae Rege, in cuius ver-
ba jam juraverat in Palæstina qui
morabatur exercitus, OTTO IV.
Henrici Leonis filius, a Coloniensi
& Trevirensi Archiepiscopis, aliis-
que Principibus, Rex Germaniæ eli-
geretur, ac anno, MCXCIIX. Aquis-
grani solemniter ritu coronaretur.

§. CXLIIIX. Attamen PHILIPPVS
Sveviæ Dux, Friderici Barbarossæ fi-
lius, Henrici VI. frater (a quo, teste
Sigonio, Tusciæ & terræ Mathildis
Dux creatus erat,) largitione sua rem-
co redegit, ut Moguntia ab Archie-
piscopo Tarentino coronaretur: qui,
ut gratiam Papæ, ne sic tamen reten-
tam, anquireret, Ducatum Tusciæ
præter montem Flasconis, sedi Ro-
manæ dimisit. Non multo post Ot-
to IV. a Premislao Bojemorum
Duce, ob id in regiam dignitatem
ejecto, prælio superatur. At vero
idem Premislaus postea ad Ottonem
defecit, ac primo tam fidelem (mo-
do non postea mutasset animum)

E 4

eidem